

1385

45
f
p
4

ALOYSII ANTONII
VERNEII

P. U.

J. U. ET T. D. ARCHIDIACONI EBORENSIS,

DE CONJUNGENDA

LECTISSIMA PHILOSOPHIA

CUM

THEOLOGIA

ORATIO

AD ACADEMIAM THEOLOGICAM,

HABITA

In Romano Archigymnasio xiv. Kal. Dec.

MDCCXLVI.



ROMAE MDCCXLVII.

TYPIS JOANNIS GENEROSI SALOMONI

IN PLATEA S. IGNATII.

SUPERIORUM FACULTATE.

L. C. 32

7

ALOYSII ANTONII
VERNEI

P. U.

J. U. ET T. D. ARCHIDIAconi EBORACENSIS,

DE CONIUGENDI

LECTISSIMA PHILOSOPHIA

C. M.

THEOLOGIA


ORATIO

AD ACADEMIAM THEOLOGICAM,

HABITA

in Romano Archigymnasio xiv. Kal. Dec.

MDCCCLXXV



ROMAE MDCCCLXXV

Typis Joannis Garzanti Galanosi Galanoni
in Piazza S. Spirito
SOTERIOUM INVENTUM

(III.)

DOMINICO PEREIRAE

CONGREGATIONI ORATORII ULYSSIPONENSIS
PRAEPOSITO,

AMICO EXIMIO, AC SINGULARI,

ALOYSIUS ANTONIUS VERNEIUS

ARCHIDIACONUS EBORENSIS

S. D.



RATIONEM de recte instituendo Theologiae studio, quam paucis ante mensibus habui ad Academiam Theologicam, constitueram non ante vulgare, quam alias, quas habuissem, polirem; & uno fasce aeneis typis committerem; atque alicui de me merito dicarem. Non quod ego putem tales esse, quae vel puritate dictionis, vel stilo, vel demum eruditione, doctos homines ad sui lectionem invitent atque allectent. Agnosco, quantum sit negotii concionari: quamque parum ego in isto genere valeam. nec unquam minus placeo mihi, quam cum e superiori loco verba sum ad alios factururus. Sed placuerunt, bona sorte, viris doctis, qui non ingenium dicentis, aut orationis veneres, sed argumenti praestantiam, & utilitatem quae ex eo capi potest, secum ipsi reputarunt: immo, quae fuit eorum humanitas, & bonitas, aliquando apud amicos praedicare non dubitarunt. Sed casus mirificus obtingit, cur haec ante alias prodeat.

A 2

Vir

Vir doctus, qui ad me ventitat familiariter, cum, absente me, nonnulla in bibliotheca mea pervolveret, incidit in hujusmodi orationem: nec contentus nugas meas legere solus, alteri, quem nollem judicem, narravit, & ea dixit, quæ facile belluoni librorum salivam moverent. Venit interim amicus ad me rogans, ut orationem sibi legendam darem: curaturum se, ut quamprimum eam mihi restitueret. Dedi, nihil suspicans mali. Paucis post diebus deferunt ad me, velle eos orationem meam, una cum aliorum scriptis, promere. Accurro: postulo ut fidem liberet, orationem mihi reddat: non licere ipsi, invito me, lucubratiunculam meam proferre. Me miserum! cum Jurisperito, coque acutissimo Dialectico, res erat: hic vero ita interpretatus est legem, ut se fidem solvere diceret, si illud ipsum scriptum, quod credideram, reportaret. Permissum fuit petere, permissum increpare: ipse tamen absterreri nunquam potuit, quin exemplar, quod exscripserat, ederet. Sic tum ab eo discedo, ut qui promitterem, me orationem emissurum, hac lege, ut liceret mihi eam dedicare cui vellem. Itaque promissum implevi: vulgavi: eamque ad te mitto. Jampridem equidem cupiebam, aliquid meum tuo nomini nuncupare; ut extaret monumentum amicitiae nostrae, quod eam testatam faceret cunctis. Plurima & dulcissima sunt officia erga me tua, quæ ego hac qualicumque tui nominis prædicatione volo rependere, idque munusculo erudito. Quid enim aliud ad te mitterem, hominem Theologum, & sacrarum litterarum contemplationi vacantem, quam imaginem veri Theologi, qui sacram scientiam pro rei dignitate tractet; in quam intuens te ipsum, atque eos qui tuo jussui parent, ad effigiem veritatis expressos conspicias? Ut rumor venit, ad Urbem, te, sub auspiciis magnificentissimi Regis, magis amplissimum ædificasse; in quo plurimi viri docti bona stadia adolescentes nostros compendiarie quadam via edocerent, verbis exprimere non possum, quanta letitia fuerim perfusus. Nescio enim quomodo semper fui suspicatus, sublimiores discipuli-

49

plinas, apud nostros, sodalium vestrorum opera ad summum fastigium fore prodehendas. Videbam siquidem vos non ex eorum numero esse, qui exterorum inventis & cogitatis, quasi Spartam venissent, quo peregrinos adire non licebat, *Ξενηλασίαν*, hoc est, peregrinitatis delationem intentant, eaque indicta causa repudiant. Quinimmo meliores libros legere: res non antiquitate, sed merito suo aestimare: majorum vestigia insistere quidem, sed libero judicio. Nunc vero quod ego futurum augurabar, tanto cum plausu a vobis fieri, gaudeo: & quia te auctore, & moderatore faciunt, gratulor tibi. Quamobrem conare, vir amicissime, ut bonarum artium studia in patria nostra restituas: atque laudem hanc, qua exteræ gentes superbiunt, transferas ad nostros. Habetis adjumenta nimis multa ad disciplinas excolendas. Cælum, si quod aliud, benignum: opportunitatem loci ad commercium cum aliis nationibus fovendum: otium summum diuturna pace comparatum: librorum lectissimorum copiam: paratam ditissimi, & meritissimi Regis voluntatem, & beneficentiam: tum denique adolescentes summo ingenio præditos, quos fingere & moderari arbitratu vestro possitis. Unum superest, cultura: quam si rite tenellis animis adhibueritis, uberrimum inde fructum homines nostros polliceri sibi posse in me recipio. Ego vero si quis his litteris sum, aut etiam quantuluscumque sum, juvabo te, si quid hoc ad rem pertinet, & opera, & consilio. Habes sinceram meam erga te voluntatis testificationem. Interea, Dominice Pereira, vir optime, & eruditissime, valitudinem tuam cura diligenter; & me, ut facis, amare perge; ac tibi persuade, te a me mirifice amari. Bene vale. Romæ. Kal. Aprilis. clbDCCXLVII.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. M. Arch. Tarfi Vicefg.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Aloysius Ridolfi Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magist.



Dom. Miserotti scul.

ORATIO.



AEPENUMERO miratus sum, Academici sapientissimi, vosque cæteri auditores ornatissimi, quid causæ sit, quare, cum omnes litterarum professores, qui in hoc celeberrimo orbis terræ loco, disciplinarum omnium sanctissimo domicilio, artes & disciplinas docent; recurrente quotannis studiorum instauratione, orationem ad auditores suos habeant, qua vel eos ad studium incendant litterarum; vel canones aliquos, doctrinis per-

poliendis per quam utiles, tradant; vel demum disciplinæ ipsius, quam tractant, præstantiam & dignitatem exponant: tamen soli nos, morem hunc laudabilem, & a majoribus nostris sapientissime institutum, aut penitus omittamus, aut ab aliquibus tentatum jam cum quadam timiditate refugiamus. Ac mihi quidem in hujus rei causam diligentius inquirenti, cum plures aliæ, tum duæ potissimum occurrere, quæ vos ab hoc studio deterrerent. Altera est, vetustum illud, Ne quid novi; seu, quod idem est, inveterata consuetudo, & quæ animis hominum altissimis defixa est radicibus, usque adeo, ut piaculum putent ab ea vel minimum recedere: Altera, longissimum illud discrimen, quod vos inter & cæteros, qui ad bona studia percipienda huc veniunt, intercedit. Quæ duo nec mihi plane satisfaciunt, nec tanti ponderis sunt quæ vos ex hoc officio dimoveant. Nam quod ad consuetudinem attinet, ea & reliquarum scholarum consuetudine, & ratione ipsa, & scopo nostrarum legum refellitur. An vero putatis, Academici, Clementem XI. & Benedictum XIII. duos illos sanctissimos & præstantissimos Pontifices, qui Academiam nostram tot beneficiis ornavunt, immo præsentia sua aliquando honestarunt; an posteriores Pontifices, qui summa cum humanitate ex-

ceperunt; an Cardinales illos, qui maximos hujus fautores se esse profitentur; id ægre laturos fuisse, quod nos, in ipsa auspicatione studiorum, de gravissima facultate, quam colimus, pro dignitate disputaremus? An non potius existimatis, nos, dum disciplinas istas laudibus efferimus, dum eas cum honore tractamus; tantorum virorum eruditionem, bonarum artium amorem, ac prolixam in nos eorundem voluntatem iisdem verbis notam facere? Equidem dum Theologiam laudo, dum officium nostrum in mentem revoco, idque oculis omnium sisto, quo alacrius & libentius prosequamur; talium Pontificum, & Cardinalium obsequi studio, & beneficium tueri videor: nec in leges nostras peccare, quinimmo iis morem gerere, earumque *αγορά* attingere mihi persuadeo. Quod si præclare, & optimis auspiciis fieri, quod pro Republica agi videtur; quod vero contra Rempublicam, id malis avibus fieri, vir ille sapientissimus ajebat; cur ego dubitem, me, si aliquid ad Theologiæ commerdationem, si ad nostri collegii amplitudinem, si ad fautorum nostrorum prædicationem fecero, bene & sapienter facturum?

Jam altera causa, de qua posteriori loco commemoravi, est illa quidem aliquanto vehementior, sed nec ipsa satis digna esse videtur. Scio enim, Academici, vos ad hoc studium non rudes tirones accedere, sed veteranos jam, legitimis stipendiis confectis, & omni litterarum genere contritos omnino. Scio, vos, istis & ad gratiam, & ad honorem patefactis viis, concitatos huc venire: atque id unum curare, ut cæteris ostendatis, quantum ingenio, & eruditione valeatis, quo diuturnæ militiæ præmia cum laude obtineatis. Erit tamen, in tanto accedentium numero, qui aliquanto remissior procedat, erit, qui emeritus jam missionem ab ista militia postulet, erit, qui, & publicis, & domesticis occupationibus detentus, ad eam difficulter possit venire. Quod si ego ex hoc loco, pauca quædam dicendo & explicando, quorundam ardorem incitavero, aliorum vero suscitavero quodammodo; quis me reprehendat? quis non imitetur? quis potius non laudet? Neque enim ego vos, ista dicendo, coarguam, Academici. Laudabo potius, quod facitis: tum & amicorum more suadebo, ut eandem viam diligenter insistatis, quo ad singularem doctrinæ laudem aliquando perveniatis. Neque etiam pro fine habeo, novum aliquid & inauditum vos docere; utque illud amplectamini, selecta eruditionis copia, & oratoriæ stimulis incitare. Sed earum quæ jam nostis, quasque veteres Theologi cum adversariis disputantes involute propemodum tradiderunt, quædam paullo accuratius enucleare: quæ si digna concione vestra reputaveritis, gratiam habeatis collegæ, qui aurium vestrarum oblectamento paulisper dicendo inservivit. sin minus, errorem condonetis, eumque amoris, non vitio tribuatis. Vos ergo vicissim me, si eloquentissi-

ne, pro copia vestra commoueritis; si optima doctrinæ vestræ suscepibile imbueritis; nihil mihi gratius, nihil profecto amantius fore unquam facturos existimetis.

Constitui ergo hac die, Academici, argumentum nobilissimum, & ad munus nostrum quam maxime accommodatum, explicare: nimirum, de conjungenda præstantissima Philosophia cum Theologia: hoc est, de adhibenda bonâ Logica, tum vero magis solidissima Physiologia ad illam divinarum rerum scientiam, quam Theologiam nuncupamus. Quod argumentum cum grave per se est, tum in hac Hæreticorum, atque in hac Semichristianorum pervicacia magnopere necessarium.

Animadverti enim, Academici, eorum, qui ad studium Theologicum, non tirones modo, sed veteranos, & laurea redimitos, accedunt plerisque duplici in errore versari. Quidam in hac sunt hæresi, Theologiæ studio rite instituendo, solam Peripateticam Philosophiam sufficere: quicquid ultra cogitaveris, esse inutile. Sed ubi nam in vera Theologia, de *Proæmialibus*, *Universalibus*, *Signis*: ubinam de enuntiationibus *Modalibus*, *Conversionibus*, *Suppositionibus*, & id genus ineptiis: addo & illud, ubinam de Syllogismorum præceptis illis obscurissimis & implicatissimis, quibus Aristotelia Logica definitur, in Catholicis dogmatibus disputatur? Physiologia etiam illorum, quæ de *Causis* univærsæ agit; *Metaphysica*, quæ de *Generibus Entium*; cui, inquam, loco Divinæ scripturæ explicando; cui veterum Patrum, aut cui Pontificum sanctioni dilucidandæ; ac demum cui dogmati confirmando necessaria reputatur? doceant, adducant, ostendant. (1) Quod si Theologiæ nomine, non veram & minime fucatam Theologiam, sed contentiosam illam, quæ aliquot abhinc sæculis pæne sola scholas occupavit, designant; abutuntur ipsi sacrosancto gravissimæ disciplinæ vocabulo: Theologiam nomine conservant, re autem vera tollunt. Neque enim ego veram eam Theologiam vocabo, quæ præjudicatis Arabum sententiis innixa nihil præclarum constituit; sed de rebus inutilissimis, quæ nec oportet nos scire, nec, si oportet, definire possemus, disputat perpetuo; idque ad ostentationem potius, quam ad veritatem eruendam. Hanc enim re, & nomine Theologiam non esse profiteamur. Illam e diversis Theologiam esse, & amplectendam fore censemus, quæ ex divinis decretis, iisque aut litteris, aut Christianorum memoriæ commen-

A 5

datis

(1) Num Aristotelis aut Crisippi Syllogismus opus est, ut cum perdiscamus qui ingenuus est; neque a se ipso, neque ab alio genitum, nec priorem esse, nec posteriorem se ipso? Quorsum igitur hæc ten-

dunt ab ipso comparata? Basilii M. l. 1. contra Eunom. Neque enim mihi cura est, quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat. Hieronym. adversus Pelag. lib. 1.

dati pronuntiata sua deducit: Veterum locis communit: tum & ratione naturæ, cum locus est, confirmat: idque via ac ratione tradit. (1) Proinde hi, mea quidem sententia, a Theologia judicio arcendi videntur.

Alii vero, Cartesiani plerumque, & Gassendiani, Logicam duntaxat, ad confirmanda sacrae Theologiæ dogmata sufficere posse sibi persuadent. Putant enim hi, posse quemlibet, si modo quibusdam recte ratiocinandi præceptionibus tinctus sit, de re omnium gravissima, de Theologia, inquam, illa qua summa fidei Christianæ continentur, apposite & intelligenter pronuntiare. Idcirco Physiologiam non excolunt: vel si id faciunt, negligenter & oscitanter faciunt: res dubias, immo & aperte falsas, quasi probatæ forent, recipiunt: iisque maximo cum Physicæ, tum Theologicæ rei damno systemata sua inædificant. Qui quidem mihi videntur, in maximarum rerum ignorantia versari. Quis enim sibi persuadeat, se leviter quibusdam Logices institutis eruditum, de gravissimis & difficillimis rebus facile posse & sapienter judicare? Vel quis illud potius non vereatur, quod plurimis male cessisse exploratum habemus, de tot ac tantis rebus, nulla alia eruditione instructus audacter deliberare? Est illa quidem Logica, Academici, summopere necessaria, ut ad quamcumque quis disciplinam addiscendam accedat, id cum fructu exsequatur. Nemo sine illa, quid certum, aut non certum; quid verum, aut verosimilius in disciplinis erit, unquam dijudicabit. Nemo non dicam facile, sed ne difficulter quidem plurima, sine Logicæ & Criticæ eruditione, percipiet. Verum enimvero ista ipsa Logica, quæ tantopere necessaria videtur, in Theologia non sufficit. Plurima nimirum alia necessaria sunt, quibus si careas, ne tu temere ad magnificentem Theologiæ ipsius, scientiarum Regiæ, vestibulum accedas.

Quid enim grandius disceptari unquam, aut in Theologia audiri potuit, quam Deum esse, eumque unum, mundanarum rerum gubernatorem providentissimum? spiritalem deinde, id est, omnis corporis expertem? Esse animos humanos, eosque ab corpore secretos, liberos insuper, & ad id omne, quod vellent, faciendum a natura comparatos? Postremo esse aliud genus animorum, quos Angelos vocamus, incorporeos eos quidem, & summi Dei in rebus gerendis ministros? Hic vero quam misere lapsi sunt homines purioris Philosophiæ ignorantia! quantas ineptias dixerunt! quot res non inauditas modo, sed prorsus incredibiles & inverosimiles defensarunt! Non Atheos memoro, Academici, qui vel Deum omnem sustulere, vel corporatos, & inutiles Deos induxerunt: humanos ani-

mos

(1) D. Thom. P. 1. q. 1. art. 8.

mos etiam in quodam exilissimarum, & rotundissimarum particularum motu citissimo collocarunt; ut Epicurei omnes, & præter ceteros Lucretius. Non illos, qui Deum cum materia miscuerunt; ac divinas omnes proprietates igneæ cujusdam substantiæ proprietates esse dixerunt; cujusmodi Stoici omnes. Non eos qui duos Deos, ut Aegyptii, & Persæ primum, dein Manichæi; non qui Deorum multitudinem intulerunt, quales fuerunt Ethnici omnes, immo ex Christianis nonnulli. Satis enim constat, hos omnes non perfunctorie & oscitanter scripsisse; sed intricatissimis sophismatibus, atque acerrimo disputandi studio, tum etiam eruditione non vulgari, plurima contra nostros glomerasse: eapropter summa ingenii vi, doctrina ac labore non mediocri fore confutandos. Illos, illos, inquam, commemoro recentiores Hæreticos, Hobbesum, Spinosam, Tolandum, Baylium; aliosque similes, qui magnum ingenium, exquisitamque eruditionem ad falsa dogmata defendenda contulerunt. [nihil enim prohibet, Academici, quin ii qui vel educatione, vel malitia, vel alia de causa à vera religione sejuncti sunt, ingenio & eruditione præter ceteros polleant.] An vero censetis hujusmodi homines, horumque affeclas, qui Geometricam ratiocinandi methodum præ se ferunt, nec aliquid unquam, quod non plane exploratum ac pervium omnibus sit, admittunt; hos, inquam, nullo negotio, hypotesibus illis, quas Cartesiani homines, & his similes hypothetici amplectuntur, posse aliquando confutari? Quod si quis est qui hæc sentiat, & mordicus tueatur; hunc ego non modo Philosophum non dicam, sed ne hominem quidem mentis comotem: dementem, vel furiosum nominabo.

Illusit Baylius Jacquelotium, propterea quod Deum exsistere justo volumine adstruxerat; & inaniter laborasse contendit. At quem virum! quam præclaræ & selectæ eruditionis! quam acuti & subacti judicii! Adeo ego vobis confirmo, ex recentioribus, qui Theologiam Naturalem explicarunt, me nullum alium, nisi Jacquelotium, legisse, qui tutiorem viam persuadendi Deum esse insisteret. Tamen tantum Philosophum acutissimus ille, ac callidissimus hæreticus hoc nomine irrisit, quod plurima, quæ fortasse dici clarius non possunt, per viam & in transcurso tetigerit. Addite huic Magalottium de Dei existentia cum amico suo colloquentem. Quis Magalottio argumentis inveniendis copiosior? quis muniendis probationibus accuratior? quis sollertior & perspicacior responsionibus adhibendis, & adversariorum argumentationibus retundendis? Verumtamen tantus hic vir cogitur aliquando Comiti suo respondere, non posse se argumenta omnia, quæ adducit, summa cum evidentia explicare: probabilitate interdum suum Comitem debere esse contentum. Quid ergo putatis dicturum fuisse Baylium; quid Comitem illum Magalottianum

num, si Philosophos istos e trivio tantum argumentum levissimis & putidissimis rationibus confirmantes audissent? Quis hisce argumentis se esse coactum diceret? quis non derrideret disputantes?

Légite, si mihi fas est vos monere, Academici, & cogitatione percurrite, non illam Scholasticorum turbam, qui hæc vel non pertractarunt, vel certe non intellexerunt, si unum Thomam excipitis, qui omnia prudentissime disputavit; verum recentiores istos, nec Pilosophos solum, sed Theologos: Perpendite rationum momenta, quibus nonnulla nostra decreta communiunt: Tum demum intelligetis, non illos modo infirmis argumentis uti, sed, quod vix credideritis, verbis sapissime usos esse quorum vim ipsi, qui loquuntur, ne intelligunt quidem. Neque vero id a me arroganter dictum esse existimetis, Academici: nam reconditæ eruditionis laudem permittere aliis, quod est Philosophi proprium, nimirum libero iudicio res perpendere, & singulas pro merito æstimare, id mihi si tribuo, non sine peculiari ratione sumo. Decennium & eo amplius hanc personam sustineo, Academici: nulli ego quidem addictus sectæ, sed unice intentus veritati vestigandæ. Nullos paullo illustriores auctores præterii, cum Philosophos, tum Theologos, quin legerem, & pervolutarem: plurima præterea in utraque illa disciplina scripsi, quæ vestro politissimo iudicio libentissime submitterem: Tamen hoc vobis confirmo, me rarum Philosophum invenisse, qui de istis disputando non aliquando cæcutiret: Theologum multo rariorem, qui non in rebus gravissimis claudicaret. Nec vero id ingenii, aut eruditionis defectu; sed quia bona Philosophia vacui sententias, quas pueri didicerant, exosculati fuerunt: numquam libere & meditate, quæ dixerunt, examinarunt: præterea sibi persuaserunt, habituros se huiusmodi adversarios, qui sententias easdem amplecterentur: & in hoc sunt toti, ut eisdem, quæ inde ducunt, exponant: Cum vero disputatores offendunt, qui tales opiniones repudiant, infantibus similes, non rationibus modo, sed verbis se esse destitutos sentiunt.

Quid vero ego dicam, Academici, de istis qui fabulas illas Platonis, de ideis innatis, plurimis verbis inculcant: ac demum contendunt, ex ipsis pleraque Theologiæ naturalis dogmata & solide & perspicue posse probari? Quid de iis qui sustinent, præcipuum illud Christianæ, immo & omnis religionis, fundamentum, existentiam Dei unius dico, nisi ab ideis innatis repetatur, monstrari luculenter, immo & evidenter non posse? O strenuos religionis nostræ defensores! o Theologos oculatissimos, & exquisitæ Philosophiæ instauratores! Quasi, Platone talia non dicente, manca & mutila religio nostra foret: nec aliis persuadere posset, jure meritoque se Deum colere creatorem omnium, & gubernatorem. Equidem qui Historiam legit, & vetera monumenta considerat diligen-

ter,

(XIII.)

ter, manifesto intelligit, quo illa modo in omni antiquitate Romanæ fidei dogmata proposita fuerint & comprobata. Atque, quin alia perquiramus, sanctissimi illi ac præstantissimi Episcopi, qui pro Christi doctrina cum Ethnicis dimicarunt, perspicue nos docent, quoniam pacto hujusmodi contentiones debent institui. Non enim illi talibus ineptiis gravissimas disputationes conspurcarunt. Non ex ideis innatis, dum unice id facerent, unius Dei existentiam perduxerunt. Non ex præjudicatis sententiis domesticæ disciplinæ sacrosancta Christi decreta derivarunt. Quorum testimonia, si quæ obscuriora esse videntur, Cl. Herminierius ex eorum meta, Platonice delirationibus non favere, abundanter evincit. Nimirum homines litteratissimi, & assiduo disputandi usu subacti, agnoverunt plane puerile esse & ineptum, veritates nullis incognitas hisce nugis obscurare. Dicas Atheo, Deum esse, quia anticipatione habent omnes, esse causam quandam quæ omnia creavit, & in præsentia gubernet: irrideberis. reponet, nullam se hujusmodi ideam habere: paralogismum putidissimum obtrudi. Dicas id ipsum Epicureo: reget, anticipatione habere se esse quidem Deos, sed humana specie præditos, & omnino corpus sui generis: nihil agentes, nihil molientes, procuratione rerum humanarum carentes, nullis operosis negotiis immiscentes se; nec enim aliter beatum Deum fore putant. Sic anticipationem anticipatione alia deludet. Quod cum viderent Theologi illi meritissimi summa diligentia curarunt, ut dogmata nostra non ex Philosophorum sectis deducerent, sed firmissimis argumentis approbarent: quandoque vero iis rationibus communirent, quæ nefarios eorum impetus strenue sustinerent, eorumque tela irrita esse ostenderent.

At enim, veteres illi Platonici fuere omnes, & ex Platoniorum principiis perpetuo philosophati sunt. Quid? Platonici? quid? Platoniorum deliria Patres doctissimi, & sanctissimi secuti sunt? id nos constanter pernegamus. Sane nemo in Historia vel mediocriter eruditus ignorat, nihil antiquius veteribus Sanctis fere omnibus fuisse, quam singularum sectarum φιλοσοφούμενα, præsertim doctrinæ systemata, rejicere: ἐκλεξιῖν instituire: atque eclecticam hanc philosophandi viam Theologis commendare. Id ipsum nostra hac ætate luculenter ex nostris demonstravit Franciscus Baltus (1). Sed, vel Balto tacente, Patres ipsi conclamant. Audiamus Clementem Alexandrinum, quasi quendam Deum Christianorum Philosophorum (2). *Philosophiam autem dico, non Stoicam, nec Platoniam, aut Epicuream, & Aristotelicam: sed quæcumque ab his sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum Philosophiam dico.* Audiamus aliud non minus eloquentiæ, quam do-

(1) Jesuita, in Defensione PP. qui de Platonismo accusantur. Gallice. l.III,

(2) Strom. l.I. p.288.

doctrinæ lumen, Basilium, hæc dogmata adolescentibus commendandam (1). *Monco, ne scriptoribus illis (Philosophis), mentes vestras omnino, quasi navis gubernacula, tradatis: ita ut eos, quocumque ducunt, sequamini. Sed quæ tantum in his utilia erunt, volo vos consecrari, ac nosse pariter, quæ sint rejicienda.* Plures adducendi non sunt, ne vos nube testium opprimamus. Legite Gregorium Thaumaturgum: (2) legite Nazianzenum: (3) legite Lactantium, (4) Hieronymum, (5) Augustinum: (6) tum & alios nimis multos, qui ad unum omnes ostendunt, in id veteres consensisse omnes, ut ex Philosophorum sectis meliora, & quæ magis accommodata decretis nostris videbantur, ad usum catholicos revocarent.

Quod si Platonice Alexandrinis quandoque favere videntur, id eo consilio fecerunt, ut adversarios acrius premerent, & facilius refutarent. Apta enim omnino illa videbantur, quæ Ethnicorum, & Hæreticorum mentes, *syncretismo* Alexandrino imbutas, aut ex suis principiis redarguerent; aut ad Christianam religionem recipendam commodius contorquerent (7). Non enim ullis definita limitibus erat Eclectica Philosophia: sed singulas sectas, quasi oborto colo, in concordiam revocans, tale systema condiderat, quod chaos esset; sed in quo Plato, quamvis a veteri differens, præter cæteros audiretur. Cum vero nonnullas eorum sententias laudabant, non Ethnicam Philosophiam laudabant, verum divinæ traditionis vestigia, quæ ab Hebræis ad gentes alias dimanasse suspicabantur, (8) se laudare existimabant. Eclecticam, sed Alexandrina prudentiorem, reliquis anteponebant. Philosophorum vero deliria pestilentissima toto pectore condemnabant. Quod si præclarissimi illi cum Philosophi, tum Theologi cum nostris Hæreticis disputarent, quis eos Platonice ideis, quas non Hæretici tantum, sed prudentiores Catholici respuunt; quis hypothesis, quas Philosophi quique præstantissimi explodunt, usus fore sibi persuadeat? Quis non contemneret Philosophum, qui, ut aliquid adversus alium Philosophum conficeret, iis denique argumentationibus, quas unusquisque merito recusare posset, magna cum verborum pompa uteretur. Est sane, Academici, est, inquam, Philosophi, rationes perpendere eorum quibuscum certat: ipsorum munimenta directe impetere, deturbare, funditus evertere. At id, nisi adversariorum systemata perspecta habemus, nisi ea tantum assumimus principia, quæ omnibus

- (1) Homil. de Utilit. ex libr. Gentil. percip.
 (2) In Panegyric. Origenis p.69. 72.
 (3) Jamb. ad Seleuc.
 (4) Div. Inst. l.II. c.8.
 (5) Epist.84. ad Magnum.

- (6) Confess. l.III. c.5.
 (7) Clem. Alex. loc. cit. p.278. Basilii, Gregor. II. cc.
 (8) Clem. Alex. l. c. p.305. & l.IV. p.477. vide Huet. Orig. l.II. c.1.

(XV.)

plana & constantissima videntur, quis unquam faciet, quis facere præsumat? Porro quanta in Hæreticis nostræ ætatis, quanta in recentioribus Epicureis, quamque abdita doctrina! quam mira accuratio in argumentando, & respondendo! quænam methodus! Adeo eruditione sua, & yegeto ingenio aliis imponunt, ut semidocti plures suspicentur, illorum objectiones responsione carere.

Non jam cum Roscelino, non cum Abailardo, non cum Gilberto Porretano, non cum aliis, qui non nisi obscura verba opponerent, quique ex ambiguo disputabant, est quæstio, Accademici: quos, vel si unam minitaretis accuratam vocabulorum definitionem, perterrefaceretis. Cum iis potius decertamus in præsentia, qui ingentem eruditionem, qui abstrusiores litteras, qui incredibilem vim ingenii præ se ferunt. Cum iis, qui purgatam illam Philosophiam colunt; vel, si non habent, affectant. Cum iis denique res nobis est, qui ἀκαταλληλίαν Scepticorum usque adeo amplectuntur, ut disputent, necne, ipsi dubitare non vereantur. Hæc, inquam, monstra & prodigia debellanda nobis sunt. huc industriam omnem nostram conferre debemus. hic omnes ingenii conatus effundere nostrum est. At vero, quam in eo cauti & circumspecti esse debemus! quam veri & solidi in probationibus! quam perspicax iudicium in responsionibus adhibere necesse est! Quæ nisi facimus, abutemur perverse vocabulo disciplinæ: tum demum ludibrio erimus perduellibus adversariis; qui, dum deliria nostra confutant, firmissima religionis nostræ fundamenta se enervare, conculcare, debilitare sibi persuadent. (1)

Quod si a me quæritis, Academici, qualem tandem utilè Philosophiam existimem, ad disciplinas omnes, & præsertim ad scientiam divinam illam, quam Theologiam nominamus, pro dignitate tractandam; nihil est quod ego facilius expedire possim. Non enim Logicam eam probo, quæ multitudine præceptorum, tametsi vera sint, mentem obruit non puerorum modo & tironum, sed etiam provectorum. Hanc enim summe perniciosam esse ad scientias omnes comparandas, existimo. Illam e diverso amplectendam, & cæteris anteferendam esse censeo, quæ paucis præceptionibus, sed certissimis, & utilissimis, & clarissimis continetur. Adeo, ego puto, rem omnem Logicam ad tria generalia præcepta percommode posse revocari. Primum est, ne ante iudicet, quam secum reputet, an illa

om-

(1) Egit autem Diabolus, ut quo tempore, adversum ingruentes ex Germania hæreses, oportebat Scholæ Theologos optimis esse armis instructos; eo nulla prorsus haberent nisi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irrisi

sunt a plerisque, & merito irrisi. Cl. Canus de Loc. Th. l. IX. c. 1. Idem evenisse Sylvestro Prieras scribenti adversus Lutherum, refert Natal. Alex. ad sec. XVI. de Luther. hæresi. n. 8.

omnia habeat, quæ necessaria sunt prorsus in eo, qui de aliquo argumento debet judicare. Scilicet, an præjudicatas sententias deposuerit: an omnia, quæ deberet, examinerit: denique an res illa ex earum numero sit, quæ a nobis sciri finiriq; possunt. Alterum est, ut vocabula omnia accurate definiat: nihil dubium, nihil obscurum nec in suis verbis, nec adversariorum relinquat. Tertium est, ne ante judicet quam intelligat, idque aperte, an res ipsa, de qua judicat, ita habeat. Quæ tria qui faciet, jure hunc Logicum nuncupabimus. Physiologiam autem illam præfero, quæ de corpore cum generatim, tum singillatim eas proprietates demonstrat, quæ omnibus notæ sunt, & ex principiis stabilibus, & nulli dubiis eruuntur, Quod quam juvet ad constituendum discrimen corpus inter & spiritum, nullus non videt. Pneumatologia vero, seu pars illa Physiologiæ, quæ de natura & proprietatibus spirituum agit, ea reliquis, mea quidem sententia, est præponenda, quæ celebriores & notiores proprietates mentium evidenter exponit, & confirmat accuratissime: cætera vero, quæ divinando tantum scire possumus, refugit prorsus. Postremo, Ethica illa studiose est addiscenda, quæ non subtilissimas & inutilissimas Scholæ disputationes persequitur, ac vafri & inepti conclusunculis occupatur plerumque: Sed solida Naturalis juris, & Gentium principia ex suis fontibus derivat: ex iisque argumentando colligit, quonam quisque modo & publice, & privatim actiones suas moderari debeat, & officia omnia servare.

(1) Hanc qui colit Philosophiam, Academici; qui hæc ante oculos perpetuo habet, is profecto ad quamcumque sit disciplinam vel casu, vel ingenio delatus, res omnes scientiæ ipsius percipiet funditus & comprehendet: in Theologia vero reliquos albis, ut inquit, equis antevertet. Enimvero, Academici, ab Philosophia in Theologiam noxium virus & tabes profluxit. Hæc sanctam scientiam maculavit, atque ex pulcherrima, & fortissima deformem, & enervem mirandum in modum effecit. Ab ipsa ergo medicina promi debet, quæ hujus maculas omnes abstergat, & etiam confortet & roboret, quæ scelestos adversariorum conatus valide possit reprimere. Non capiunt hæc inepti homines, qui pugnacissime defendunt, posse quemlibet, tametsi qualicumque Philosophia perfusus sit, in Theologia solide & acute, uti decet Theologum, ratiocinari. Caperent tamen, si, remotis ineptissimis opinionibus, in animo cogitarent, quid illud sit quod gravissimo Theologiæ vocabulo supponitur: tum & quot nugæ tanto sub nomine, ab semidoctis hominibus obrudantur. Quæ ut alia ætate cogitata fuissent, & per summum otium in scholis disputata; in hac vero litterarum luce; in hac Theologiæ instauratione; in qua nihil non ad Fidei decreta confirmanda, & hostium licentiam retundendam utile & necessarium explicatur, deleri omnino, aut taceri deberent.

Nem-

(XVII.)

Nempe quærun't in præsentia nonnulli, *An Angelorum numerus æquet numerum rerum materialium. Quo in loco creati sint. An componantur ex materia spirituali. An assumendo corpus illud vivificent. An ambulent, nec ne. Quomodo acquirant cognitiones. An semper sint in actuali cognitione: & id genus multa.* Verum depurata Philosophia docet, non habere nos documenta firma, ex quibus in unam partem potius, quam in aliam differamus: proinde tempus inutiliter absumere, & verba audientibus dare. Quærun't, *An Beatitudo superna principalius consistat in visione, an in amore. An caritas augeatur per additionem gradus ad gradum, an per majorem radicationem in subjecto. An principium quo productivum in divinis consistat in relativo, vel absoluto, vel utroque. An Pater prius velit generare Filium, quam illum generet: & an hæc prioritas originis dicenda sit in quo, vel a quo virtualis. An in Deo admittenda sit subsistentia absoluta: & hujusmodi sexcenta.*

(1) At perfecta Theologia ostendit, hæc omnia, ut finiri potuerint, nihilo tamen juvare nos, quo nostræ Fidei decreta illustremus, & contra adversariorum dicta, conatus, oppugnationes muniamus. Scilicet illa est Theologia, quæ Christianæ religionis, & universalis, pronuntiata diligenter illustrat, confirmat, corroborat. Eapropter de iis disputat tantum, quæ necessaria & utilia sunt ut eadem & nostris, & extraneis approbemus: quæ huc non collineant cætera, respuit profus. (2) Nihil enim nos utile docent: nihil ad rem faciunt: quinimmo mentem animi retardant, ne utiliora, & quæ magis necessaria sunt, addiscamus.

Deum bonum! Putent ne hi, tam parum tamque facile illud esse, quod veræ Theologiæ nomini subjicitur, ut rebus inutilissimis tempus consumere opus sit? Vereantur, ne vitam quantum libet diurnam studiis hujusmodi plane non occupent? (3) Quod si semel cogitatione reputant, quanta quamque difficilia uno vocabulo prehendantur; quam late illud exporgatur; tum vero intelligent, quam male de Theologia mereantur, qui alienis illis & ineptissimis disputatiunculis

(1) Plures quæstiones in Theologia dabunt Beatus Simon de Cassia, Augustinianus, de Religione Christiana, l.VIII.c.23. Venerabilis Gerſo leſſ. in Marc. S. Antonin. in Summa p.IV. t. 11. c.4. Maldonatus Orat. de Theolog. institut. an. 1574. Canus de locis Theolog. l. IX. c.1. & 7. & alii: qui omnes hunc abusum in Scholasticis reprehendunt. Vid. etiam Launoium.

(2) *σιγάδα πα περιττα εν εκκλησία θεῷ. δοξαζέδω πα πεπιτευμένα. μη περιεργαζέδω πα σιωπώμενα.*

Prætermittantur silentio superflua in Ecclesia Dei: sentiamus quæ jam fidem obtinuerunt: ne curiosius investigetur, quæ silentio præterita sunt. Basilius Cæsar. Homil. in sanctam Christi gener. fin.

(3) *Tanta est enim Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab incunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.* Aug. Ep. 137. non vs edit. olim 3.

etatem terunt. Quanta enim linguarum exoticarum Græcæ nimirum, Hebrææ, Syriacæ, Arabicæ, Chaldaicæ, in Theologo eruditio requiritur! Quanta historiæ veterum imperiorum, quo Judæorum res gestas, servitutes, disciplinam: quo Prophetarum vaticinationes, cæteraque, quæ in sacris litteris continentur, possimus interpretari! Quanta recentioris historiæ cum Sacræ, tum Profanæ, quo Conciliorum finitiones, Maximorum Pontificum decreta, Apostolicas & Ecclesiasticas *Traditiones* intelligere & explanare valeamus! Quam profunda notitia sæcularis Philosophiæ, & sectarum, in quas vel Jonica, vel Italica disciplina dispescitur; quo veterum Hæreticorum sententias percipiamus, quæ ab illis fontibus fluxere! Quanta quamque assidua Patrum Græcorum, & Latinorum lectio! Quam acre iudicium, quamque exercitatum hisce rebus dijudicandis! Hæc omnia sane qui cogitat, & pro merito considerat, hic, inquam, nisi demens est, mirabitur, quam ilate pateat vocabulum Theologiæ! quot complectatur disciplinas, quamque difficiles! etiam & illud mirabitur, esse homines qui, relictis studiis necessariis, res plane inutilissimas, & quæ nulli usui non in scientiis solum, sed nec in vita sunt, tanto cum impendio ediscant. tum denique plane deprehendet, quoniam illa pacto gravissima disciplina explicari: quæ ab illa semovendæ inutiles differtationes erunt: quæve de novo earum loco disputandæ. Nimirum duo illa arctissima colligatione devincta sunt, & scientiarum principia funditus cognoscere, & quæ extranea sunt diligenter separare. Id vero sine recta non Logica modo, sed Physiologia præstare quis potest? Quæ cum ita sint, Academici præstantissimi, præcepta huiusmodi alta mente defigamus, atque identidem memoria repetamus. Comparemus nos non ad pugnas verborum, sed rerum. Apti simus qui cum Hæreticis eruditissimis contendamus: qui iis resistamus: qui hæreditatem quam a Christo habemus, fidem Catholicam dico, pro viribus tueamur. Electam Philosophiam illam, quæ & ingenium exaudivit, quo omnia debite intelligat; & in unaquaque disciplina, quid verum, aut verosimile; quid etiam utile, aut perniciosum esse docet, cognitam plane atque familiarem habeamus. Neque vero Hæreticorum paralogismos, si quos objecerint, timeamus. Non enim Peripatetica methodo eos labefactari opus est: fortasse etiam non possunt. (1) Immo vero contra nihil est ad fallacias detegendas ac-

(1) Legi historias ab iniciante Christo Ecclesiam quot & quot legere potui: legi Conciliorum acta, & legi adesse Philosophos: legi passiones certatorum & certantium pro Fide in tormentis, pœnis, exiliis per sanguinem & mortem: & non reperi repugnasse adversarios

per philosophicas rationes: non comperi adduxisse aliquem ad Fidem per syllogismos, & quæstiones. Legi disputantes Doctores, Confessores, Cœnobitas, Anachoretas; & nihil in eis pro eis, & pro aliis utile reperitur per inanem Philosophiam. *Beatus Simon de Cassia*, loc. cit.

(XIX.)

commodatius, quam sine ullis syllogismis disputare: modo nullo verborum ambitu, sed stricte circumscribas sophistam, & cogas explicare quæ dicit: nullaquæ vocabula non plane definita admittas. Secus, perpetuo rixaberis, nunquam ad veritatem manifestandam devenies. Hac, hæc, inquam, Logica nobis per quam utilis est: reliquæ omnes, ut moderatissime loquar, ineptæ. Revocate in memoriam; Academici, vel illam barbaram ætatem, in qua nihil præter syllogismos placebat, duodecimum sæculum dico. Quis in Dialecticis Gilberto Porretano subtilior? quis paralogismis excogitandis luculentior? quis elandis responsionibus aut versutior aut callidior? quis Theologos, qui vitam disputando transigebant, plus isto fatigavit? Tamen vaferimus hic sophista, homo in argumentando & respondendo audacissimus, coactus ab Eugenio III. P. M. in concione Remensi se explicare, idque nullis ambagibus & syllogismis, sed aperte, & ut homines communiter loquuntur, domesticis præsiidiis se esse destitutum sensit: obmutuit penitus: atque uno duntaxat prolato verbo se hæresim obtrudere, quod astute occultarat, palam professus est. (1) Neque vero id novum in Ecclesia fuit: enimvero Dialecticus alter callidissimus, & Aristotelicis laqueis egregie paratus, cum in concilio Nicæno nullum altercandi finem faceret, nec ab aliquo posset retundi; eadem argumentandi methodo fractus pæne & debilitatus extitit. (2) Quæ cum ego mecum quandoque reputarem, tum & exempla nimis multa, quæ historia suppeditat, percensendo considerarem; eorum sæpe damnavi imprudentiam, an arrogantiam? qui repetere illud non cessant, sine farragine syllogismorum non posse quemquam ad eruendam veritatem, & Hæreticos opprimendos pervenire. Quod, ut constans experientia non refelleret, (3) ipsamet primorum Theologorum scripta, quam falso id dicatur, evincerent copiose. Quantum enim quamque insignis Philosophus Justinus! quam acute Græcorum, hoc est, Ethnicorum omnium deliria detegit & confutat! quis vero in adhibendis syllogismis moderatior? Qui vir Irenæus! quam perspicacis iudicii! quam sapienter quinque libris Valentini, & Gnosticorum hæreses redarguit! Syllogismis ne? minime. Quis Gregorius Nazianzenus! quis Basilius Cæsarensis! quis Athanasius! quam nerve

- (1) Otto Frising. de rebus gest. FridERICI. l. I. c. 56.
 (2) Cassiodorus Hist. Eccl. Trip. l. II, c. 3. videas etiam S. Anton. in Sum: p. IV. t. II. c. 4.
 (3) Nonne quotidie experimur, contra manifestam veritatem aliquibus pugnari, nec quemquam subtili ingenio præditum, quantumcumque delira, extremaque blateran-

tem, syllogismo capi posse; quin, quo velit, non se transferat in tuto, si non vere saltem apparenter: ita ut plerumque non modo ignarum, sed semidoctum etiam vulgus eludat, veritatem magis a se, quarum ab adversario habitam simulans. Cl. J. F. *Picus Mirandul.* l. I. de stud. divin. & hum. Philos.

vose Sabellianos ; Eunomianos , Arianos , non verbis illis quidem abstractiorem eruditionem præ se ferentibus , re autem vera vacuis ; sed firmissimis argumentationibus reprehendunt ! Quantus Theologus Cyrillus Alexandrinus ! quis melius Nestorium refutavit ? Quantus Epiphanius , qui universas pæne hæreses summo ingenii acumine , & mira dexteritate confregit ! Atque ut duobus nominibus profanæ omnis , & sacræ scientiæ spatia definiam , quis Hieronymo , & Augustino a sæculari Philosophia , a bonis litteris , ab omni denique scientiarum orbe instructior ! quis ad Hæreticos debellandos utroque accommodatior ? Dicant Jovinianus , Helvidius , Vigilantius , Luciferiani , Origenistæ : dicant Manichæi , Pelagiani , Donatistæ , Pagani : dicant omnes illi denique qui eorum dicendi vim , & industriam disputandi experti sunt . Tamen hi omnes , non ex Stoæ , aut Lycei intricatis & tenebricosis officinis , sed ex solidæ Philosophiæ spatiis tanti ac tales viri extiterunt . Pervolvite , Academici , & studiose considerate tantorum Theologorum commentationes ; profecto deprehenditis , non illos involutis & implicatis syllogismis uti : non vocabulis istis parum intelligibilibus : non immensa illa nugarum & sputatiliarum quæstiuncularum mole Ethnicos , & Hæreticos oppugnasse : sed planis & validissimis argumentis , ab omni fuce , ab omni obscuritate liberis eorum amentiam , & impudentiam perfregisse . Utebantur illi quidem Dialectica , non illa contorta & aculeata , quæ semidoctis hominibus immane quam placet ; sed quæ necessaria erat , ut perditissimorum hominum argumentationes frangeret & enervaret , Dialectica , inquam , plana , intelligibili , sincera .

Quamobrem , Academici eruditissimi , hæc nobis via docendi , & discendi ; hæc philosophandi ratio amplectenda est . hisce vestigiis progredi debemus . contemnendi prorsus illi sunt , qui contrariam sententiam imperite inculcant . Vos ego , si facitis , quod profecto facitis , laudo : sin minus , & moneo , & hortor , ut dignitati vestræ ac gloriæ serviatis : & lectissimam Philosophiam , non Logicam tantum , sed Physiologiam Theologiæ nostræ adjungatis . Qui enim id non faciunt , sed Arabum opiniones exosculantur , Theologi illi quidem , & Theologiæ Magistri nomine tenus erunt ; reapse vero non erunt .

faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, appearing as a vertical column of illegible characters.

(1) Quædam...
(2) Causam...
...
...
...
...
...
...
...